



8745.

B. C. D. 1685. 27  
DISSERTATIO MORALIS  
DE  
**DISCRIMINE** 8/  
**JURIS GENTIUM**  
**A JURE NATURALI,**

*Quam*  
Inclutæ Facultatis Philosophicæ  
consensu, in famigeratissima Lipsiensi  
Academia

benevolæ ac placida Eruditorum censura

*submittent*  
P R A E S E S

M. JOH. DAVID Schwerter/  
SS. Th. Baccalaureus

&

*AUTOR-RESPONDENS*

ABRAHAM Ziegke, Lucc. Lusat.  
Ao. M. DC. LXXXV.

*D. XI. Martij*

LIPSIAE,  
Typis KRÜGERIANIS.

27

J. Ober





## C. B. D.

### Th. I.



Ravissima est Præceptoris Nostri Maximè Reverendi Dni, D. Alberti admonitio, non esse confundendum Jus Gentium cum Naturali & Positivo sc. Civili; etiamsi contingat, ut Naturæ sancta cum statutis Gentium circa unam e. andemq; rem interdum occupentur, qvoniā hoc ipsum potius in causa sit, ut duo hæc Jura eō cantius à se invicem fecerni debeant. Comp. Jur. Nat. Part. II, Cap. XVIII. §. i.p. 238. seq. Obtinuit sententia autoritas simul ac veritas, ut opera fore pretium pataverimus, si discrimen illud, qvod Juri Gentium cum Jure Naturali cumpriuīs intercedit, diligētā pālō curiosiori rimaremur.

### II.

Brevitatis verò rationem habituri, temperamus nobis à prolixa Terminorum, qvos Qvæstio involvit, descriptione. Paucis ubique mens nostra patebit; Et Juris quidem vox in ista sumitur, latitudine, ut Legem pariter ac moralem facultatem denotet. Vid. Grot. de Jure Bel. & Pac. p. 2, seq.

### III.

Natura idem hoc loco est ac ratio hominis, sumptuā denominatione à Subiecto proximo & immediato, Conf. Dn. Zieg. Not. ad Grot. in Prol. p. 4. Huic Natura Naturans primitus implantavit justi & recti cognitionem, cuius rudera atq; reliquiae naturaliter hodiè cum anima propagantur. Uſus autem Jus Naturale

vocari

A 2

vocari maluit, quam jus rationale, vel jus humanæ rationi insitum,  
quia sub vocabulo Natura simul Autor & ortus propagationis  
que modus hujus Juris innuuntur.

IV.

Voce denique Gentium, remotis Angelis ac dæmonibus, homines tantummodo ponimus: quos tamen Nationis, ætatis, sexus, mortuorum, statutis, immunitatibus & privilegiorum diversitas a se invicem vel distingvit, vel distingvere potest.

V.

Num talia Jura existant, ostendendum nunc est. Prius nempe Jus Naturale pauciores nostri ovidem seculum in dubium vocant: neque etiam sanæ mentis esset, hac in parte diu hæsitare. Pensamus saltem nobiscum, sanctissimum Creatorem non potuisse creaturam præprimis rationalem producere, sanctitatis omnino vacuam, h. e. sine ordinatis affectibus, sine appetitu cognoscendi Conditorum, & sine desiderio, gratitudinis loco ipsum piè venerandi, cumq[ue] aliis, quos Naturæ comendaret æqualitas, tranquillè vivendi, uno verbo, sine principiis moralibus, qui eandem, ut rationalem, sine principiis intellectualibus creare, potentiam suam indignum ratus est: Jam vero meliorem esse longè præstat, quam doctrinam. Est quædam non scripta, sed nata Lex, fassus est Cicero Orat. pro Milone: quam non didicimus, accepimus, legimus; verum ex Nat. ipsa arripiimus, hauiimus, expressimus, ad quam non docti, sed facti, non instituti, sed imbuti sumus. Quid ab eo expectare potuissimus? si vel extremis saltim labris revelata in sacro Codice veritatem degulstasset, ubi perspicua de concreata Divini Numinis imagine doctrina insinuatur, quovsum cum Naturalibus moralia quoque, quibus ad vitam honestè decenterque transfigendam dirigimur, rectissime referimus. Sed hanc materiam tam solide a Domino Alberti elaboratam eruditus orbis admiratur, ut post Homerum Iliada scribere videretur, si quis illi prolixè velit immorari: Plura argumenta pro Existentiâ Juris hujus communicabit Herebodus Disp. select. Volum. I. Disp. 41. Th. 2. it. Exercit. Eth. 62. Th. 5. Verbo: Gentes τὴν Φύσην faciunt τοὺς νόμους; actio autem, natura talis, aliam obligationem non præsupponit.

VI

178204

Hoc Jus non incongruè definitur per Regulam actuum moralium, à Deo creature rationali creationis tempore habitualiter impressum, hodiè post lapsum cum imaginis divinae reliquiis, tanquam istius habitus analogum naturaliter propagandam, quid deceat, quidque licet indicantem, & ad istud agendum, ejusque contrarium sculdū averandum obligantem. Prolixam hujus Definitionis deductionem Lectori suppeditare potest Præsidis Differatio de Juri Nat. Immut. An. 1684. Lipsiae habita. §. 25.

Jam etiam rō̄ti Juris Gentium vindicandum nobis est. At sub considerationem nostram hic non venit Jus Gentium impro priè tale, i. e. Lex alicuius civitatis in particulari, qualis acceptio perperam placet Hobbesio Lib. de Cive C. XIV. §. 4. Sic enim cum Jure Civili confunditur, quæ Juris species fori nostri non est. Nec accipituit à nobis in oppositione ad instinctum naturalem, omnibus animantibus infirmum: Quemadmodū Juris Romani Scriptoribus Jus audit homini proprium. Qvod Naturalis ratio inter omnes homines constituit, id apud omnes peraqvè custoditur, vocaturque Jus Gentium. §. I. Inst. de Jur. Nat. Conf. Beccmannus in Med. pol. p. 12. Ubi vice versā Naturæ Jus bestiis & homini commane creditur, si nimis verba Autoris, prout jacent, sunt intelligenda: Nam hæc acceptio consilii onem cum Jure Civili parit, cùm utrumque homini utique sit proprium, item homines agnoscat causam & principium. Neqve etiam extra oīas vagaturi, in ista latitudine acceptam volumus vocem hanc, ut Jus communne omnium hominum designet, sive strictius acceptum Naturale sit, sive gentium; uti in §. pen. Inst. de Jur N.G. & C. occurrit. Sed strictam illam & propriam significationem nostram facimus, quam in Leg. 47. & 64. ff. de Cond. indeb. invenimus, Qvod nempe plures Gentes non fortuò, aut per imitationem sed quasi ex compa gno & usu id exigente inter se constituerunt. Vel sicut Leg. I. § 4, ff. h. t. & §. 2. Inst. de Jur. N. G. & C. habetur, qvod Gentes humando usu exigente, & humanis necessitatibus constituerunt. Quæ verbâ recte de Jure Gentium propriè dicto accipi, afferit Dominus

Rachelius Dissert. de Jure Gent. Th. I. p. 233. Etiam si verò jus Civile etiā complectitur statuta qvædam, à communi vel necessitate vel utilitate introducta; tamen ea non obligant sub hoc formaliter, sed eātenus saltem, qvatenus autoritatem Nomothetæ veneramur. Dantur enim res, ad quas duplex me jus obligare potest cum Gentium tum Civile; sed alio, pro cuiusvis Juris ratione, respectu.

VIII.

Jus Gentium est (inquit Grotius Lib. I. de Jur. B. & P. p. 7.) quod Gentium omnium aut multarum consensu vim obligandi accepit. Nobis arredit sequens declaratio: Jus Gentium est Jus circa res morales prius indiferentes, usu & necessitate svalente occupatum, ob populorum consensum ad agendum vel non agendum obligans & facultatem agendi & possidendi in vita socialis communum tribuens. Ac tale Jus existere à nobis affirmatur, ita ut non solum Natura hominibus suum Jus ingenerasse censenda sit, qvō quatenus homines sunt obligantur; sed etiam ipsum genus humanum varia jura positiva pro suo arbitratu constituisse putetur, non tantum ea, qvibus in usaq; vñq; Rep. subditorum obedientia Imperantibus obstringitur, sed etiam, qvibus istud humanum genus, in liberas gentes & diversas Resp. distributum, pro communi obligationis vinculo utatur, atque adeo populi his placitis, mutua fide subaxiis, in societate continetur.

IX.

Probat istud primò Necesitas, resultans ex conditione materiæ: Cūm enim Resp. una vel libera gens in alteram nihil autoritatis habeat, pactis omnino arbitrarium tale jus constituendum est, cui ab omnibus, qvibuscum agendum aliquid est, obsequium præstetur. Id qvod Civile non est, qvoniā Jus Civile non propter pactum, sed propter Autoritatem illius obligat, qvi τὸ Κύρον in Republica obtinet: Talis autem respectu plurimum Rerum publ., quas diversum regimen separat, non datur. Confirmat secundò Experiencia: Gentes non paucæ sibi pari fide multa præstant mutuo, non ob honestatem Juris Nat., qvam non attendi, docent exempla allata apud Beccm. Dissert. II. Polit. Paral. de J. N. §. 6. nec impulsu juris divini positivi, solis hodiè Christianis proprii; ergo vi utilitatis vel necessitatis

ſtatis; (nuda hoc non pракat imitatio, qvæ diſſiculter conſiſtit  
cum harmonia actionum apud gentes perpetua ac propemodum  
universali; Neqve ſola objecti materia, qvæ indiſſerens in hoc Jure  
eſt, adeoqve contingenter determinatur ad certam moralitatis ſpe-  
ciem, contingenter etiam tollitur ac variatur,) qvam pacis com-  
muniunt, ſine ſummo dedecore ac formidine talionis haud diſrum-  
pendis. Favet aliqvo modō noſtræ ſeurentiæ ipſe Pufendorfius,  
Elem. Jurisp. Def. 13. §. 25. p. 383. afferens, tacito qvodam conſenſu  
inter plerasqve gentes conſuetudines qvasdam circa bellum uſurpari,  
videriqvoqve illas continere obligationem ex pacto faltem tacito or-  
tam. Unde colligit Rachelius, actus bellicos non ſoldi Jure Nat. regi, ſed  
in ſuper ex tacito Gentium conſenſu normam iis elle præſcriptam,  
qvæ obligationem continent. Accedit confeſſio Gentium & pro-  
vocatio ad Jus Gentium; Sic Romani, reſerente Plut. in Numa, con-  
queſti ſunt, contra Jus Gentium adverſuſ ſe arma eſſe ſublata, non  
indictè priuſ bellū, cum tamen Aelianus ex Platone doceat, à Natura  
indici non à caudecato bellum, qvod ad propulsandam vim uſci-  
pitur: et certè Juriſ Naturaliſ hæc eſt liberalitas, ut vindicandi po-  
teſtatem concedat illi, qui ex proposito fuit laetus, & cui justa pro  
injuria ſatisfactio denegata eſt. E. Jus Gentium propriè ſic dictum  
intellexiſſe, non Naturale putandi ſunt.

X.

Qvod ſi in dubium vocas, an veri ſimile ſit, conſenſu Gentium  
Jus aliqvod eſſe conſtitutum. Differunt certè Gentes in iis,  
qvæ Juriſ Nat. ſunt, qvantò major erit diſſenſus circa materiam.,  
Juri Gentium propriam. R. In Definitione non omnes præcise in  
teſto orbe gentes, ne undi qvidem homine excepto, ad conſtituti-  
onem Juriſ Gentium reqviſiuiſimus, ſed plerasqve; idqve non ex ab-  
ſoluta indiſſerentia ad utrumqve oppofitorum ſeu libertate, ſed  
ordinata & ſecundum qvid tali feciſſe, ſcilicet prout conditio ſu-  
jectorum, actuum atqve temporis id ſuavit fieri, vel omitti permi-  
ſit. e. g. qui nullum ex inviolabilitate Legatorum ſibi promiferunt  
uſum, ii de facto negligere & non obſervare eam potuere quidem:  
Interim tamen non ſequitur, qvod Juriſ non ſit apud reliqvas Gen-  
tes, qvarum inter eſt, Legatos, ut tales, apud Eum, ad qvem ſub  
iſto

isto titulo sunt missi; immunes præstare à lædendi libidine. Sicut ergo non valet: Hoc vel illud apud omnes homines est receptissimum, ergo est Juris Gentium: à conjugorum enim consuetudine nulli populi sunt alieni, neque tamen absurditate careret assertio, Jure Gentium eam esse introductam. Ita laborare quoque videatur Consequentia: Universalis Gentium consensus abest, igitur nullum datur Jus Gentium. Jus Gentium enim constituit consensus Gentium vel tacitus vel expressus in rem vel actum quendam non simpliciter consideratum, sed ob id maximè receptum, quia naturalem rationem habet, in quantum ea ad communem Gentium utilitatem, ad tuendam nempe societatem spectat, etiam si non illicet ab omnibus etiam gentibus similis vel talis actus aut res recepta sit, quod uberioris declarat Antonius Faber in Jurisprud. Pan. Tit. de Jur. Gent. It. Vinnius ad §. I. de I. N. G. & C. n. 2. Conferatur etiam Rachelius Tract. de Jur. N. & G. p. 244. §. II. 12. It. Mevius in suō Prod. Insp. s. n. 5. Jus hoc dicitur omnium Gentium, non quod aut omnes Gentes in illud consentiant, aut receperint, sed quod pro justitia, pro pace & salute omnes eō opus habeant, seu quod ad communem utilitatem spectet. Non prætereundum quoque est consequentia vitium: Jus quoddam aut Lex sape negligitur, ergo Lex plane non est; sic è numero Legum excluderentur præcepta quædam Naturalia, à Tyrannis & aliis, adversus conscientię stimulos obdurate, raro observata. Porrò eti o rigo unius vel alterius Legis, nec non propago illius juxta seriem temporum de Gente in Gentem, usu facta, demonstratu per quam est difficilis, sufficit aliunde fieri manifestum, Jus Gentium obtinere hic & alibi. Cujus quidem aliqua Capita tantæ non sunt constantia, quominus in desuetudinem abire possint, vel ob usum non adē ius signem in Rebus. liberis ad se invicem relatis, modò consensus illarum adsit, quarum utilitas sancitorum istorum sive abrogatione sive ulteriore duratione nititur; vel ob temperamentum æquitatis Naturalis, si videlicet Juris Gentium cujusdam nimis sit rigor, non præjudicante iniquo vel impiō aliorum dissensu.

XI.

Declaratum haecenus Jus Gentium confunditur ab aliquibus par-

partim cum Jure publico, quod illius primaria velut cura se exten-  
dat ad Jura Majestatis, quorum pertinet Jus belli, pacis, foederum,  
&c. Sed non attendunt illi, quod Jus Gentium occupetur circa  
eiusmodi jura generaliter saltim & in actu signato; Jus verò publi-  
cum ea spectet in actu exercito seu cum restrictione ad determina-  
tum subjectum, certam videlicet Remp.; partim cum Prudentia  
Politica, ob id, qvia Politica satis generaliter & sensu irrestricte  
tradit paulò ante nōminata Majestatis jura; Interim hoc discrimi-  
nis subest, qvod prudenter statistica non præcisè ad vinculum Juris  
oculos dirigat, quemadmodum Jus Gentium; sed saltim commo-  
dum Reipublicæ expendat, e.g. num expediāt hōc tempore contra  
hostes bellum suscipere &c. Jus verò Gentium præter usum &  
non usum aliquam simul insinuat, obligationem; partim cum Ju-  
re Civili Conf. Th. 7. & Grotium Lib. II. de J.B. & P. c. 8. n. 1. & 26.  
It. c. 3. n. 5. ibidem observantem, interdum Jura qvædam obtine-  
re apud plures Gentes tanq; domestica & civilia, sicut ea appelle-  
bat Seldenus Lib. I. de Mari clauso c. 3. non ut Jus Gentium, propriè  
dictum; qvia istas gentes vinculū morali adversus se invicem non  
obligant, qvæ Juris Gentium natura est; partim cum Jure demum  
Naturali, sed Jurium ultimò nominatorum diversitatē ostendere,  
instituti nostri imprimis nunc est.

### XII.

Idq;ve affatim docebit dispar Definitionum ratio, qvas illis  
suprà aptavimus Th. 6. & 8. Diversitas enim definitionis testatur  
de diversitate definiti, qvod è principiis Logicis clarum est. Ita  
enim causas & principia essendi proxima explicant, qvæ pro ratione  
essentiae suæ effectus producunt. Sicutihæc omnia meliorem nunc  
declarationem indipendentur.

### XIII.

Agmen ducat Causa Efficiens proxima, qvæ semper in uno  
effectu tantum est unica: Qvorum igitur causa totales ejusdem  
ordinis essentialiter sunt diverse, illa ipsa sunt diverse. Notanter  
dico totales, possunt enim Causæ efficientes sociæ & conjunctæ u-  
nius effecti plures dari, qvæ ad illum producendum concurrant,  
licet sint ejusdem ordinis & speciei, sed partiales v. g. idem pondus

B

tra-

trahitur à duobus equis coordinatis non subordinatis, cum unus non dependeat ab altero vel quoad existentiam, vel quoad causalitatem: Dico etiam ejusdem generis; diversi enim ordinis totales causa v. g. superiores & inferiores, universales & particulares, principales & instrumentales, proximæ & remota in subordinatione ad ejusdem effecti productionem concurrere omnino possunt: Ita vero in Jure Naturali, de cuius ortu hoc loco sermo est, Deus meritò censetur, immediatè cum imagine sua justitiam ac rectitudinem mentis peculiarem homini habitualiter conferens. Ratio movens à priori interna essentialis Dei justitia fuit, atq[ue] sanctitas, externa conditio rationalis creaturæ, quam sine omni ordine & directione vi omnisiapientiæ suæ condere non potuit Deus. Ratio causandi omnisiapientiæ est potestas in creaturam, obligandi eam sibi, ex beneficio creationis orta. Causalitatem ipsius Spiritus sancti stylus designat, videlicet scriptiōnem Juris Nat. in corda Rōm. II. 15. h. e. concreationem habitualem notitiæ ac voluntatis firma & efficacis agendi, quod Deo placet. Nulla hic hominis cooperatio, ut pote qui in prima Juris Nat. collatione purè passivè se habet; Benè tamen activè se gerit in Constitutione Juris Gentium, & quidem prout in societate existit. Nam Gentes, in plures societas & liberas Resp. distributæ (non una, qvæ quidem ad Civile Jus condendum sufficit, hic satis est) influunt in effectum istum, concurrente quidem simul etiam Deo, sed generaliter tantum, non., quod in sanctione Juris Nat. contigit, specialiter. An omnes Gentes suum conferre teneantur, ut tale demum Jus progenetur, Th. X. jam exposuit. Moratores postulat Dominus D. Alberti p. 2. Comp. Jur. N. Cap. 18. §. 6. Conf. Beermannus Med. Pol. Diss. II. §. 4. Causa προναταρικήν est Charitas ordinata & recta, qyanta quidem homini post lapsum inesse potest, qvæ in id omnifuruntur Gentes, qvō conserventur, perficiantur & amplientur. Causa vero προναταρική est statui corrupto propria & inseparabilis ab illo indigentia, cui succurrendum, qvæque emollienda & mendanda est, quantum fieri potest. Ideo, inquit Beermannus suscipimus bella (quæ jure Gentium introducta sunt L. 5. ff. de J. & J.) quia societatem nostram ab aliorum injuriis liberam esse volumus.

Ideo

Ideo servitus eodem Jure secundum c. I. & princip. Inf. de Libert. invasit, qvia societatibus aliter consuli non poterat, nisi operâ singularum aliquando sublevarentur; nec singularibus personis aliquibus bene est, nisi operam suam alii elocent. Ratio causandi est facultas sibi invicem per pacta limites ponendi, ac leges praescribendi, Juri Nat. ac Civili non adversas: Qvam enim libertatem Naturam Legislatoribus permisit, ut illi actiones Jure Nat. vel tam manifeste vel simpliciter non comprehensas Legibus suis determinarent, eam vel privati vel integra Resp. ab utroque Jure hodiè habent, ut se invicem conventionibus certis obstringere possint. Causalitas est libera Gentium, sed cum consensu reliquarum, ad qvas usus exinde vel damnum redundat, introductio Jurium, factis & exercitiis stabilita, qvando nempe plures populi id agunt, qvod conformitatem cum sociali natura habere omnium consensu ac ratificatione tacita atque approbatione practica, imitatione, toleratione, repetitione ejusdem facti &c. intelligitur. Media introducendi sunt pacta, de qvibus vid. Th. XVII. Norma agendi sicut in Jure Nat. erat ipsa Dei sanctitas & essentialis justitia; ita hic est primariò recta ratio, prout homini adhuc est reliqua, & secundariò Usus & commodum plurium Gentium liberarum, sed conjunctim spectatarum, & quantum una alterius ope indiget.

#### XIV.

Materiam qvod attinet, Ea vel est in qva, vel circa qvam, vel ex qva. Ita si Jus Naturæ ἐκτυπων species, tum Angeli sunt tum homines, atque hi missis jam prioribus, in statu tum solitario tum sociali constituti, qui cum ipsa Natura tangunt subiecto in hæctionis ipsa propagant accidentia, qvorum classi Nat. Jus annumerandum est. Conf. Th. VI. Juris Gentium materia subiectiva tantum sunt homines, ad se invicem ut socii relati, item in Rebus, jam viventes, hodie ad recipiendum istud jus in genere omnes apti nati, in specie tamen respectu hujus vel istius axiomatis plures quidem, sed numero indeterminati. Unde Grotio distinctio videtur emerisse in Jus Gentium Universale & Europæorum Lib. 3. c. 4. n. 16. item in Jus omnium & meliorum Lib. 3. c. 6. n. 3. A quo parum ab ludit Rachelius, distingvens inter Jus Gentium commune & pro-

prium; Th. 23, de Jur. Gent. It. Conringius Disp. de Legibus Th. 24.  
asterens, dici utique id ita posse Jus, quod non solum plerasque sed  
interdum duas nimirum gentes intercedit; loco exempli Constitu-  
tum Hispanorum & Batavorum allegat, ut bellum captus a capto-  
re suo unius mensis spaciō se redimere possit. Etenim, ita mentem  
ulteriū declarat, cur hoc Gentium Lex minus astimanda sit, quam  
illud, quo olim, ut capti capientium hostium servi fuerint, obtinuit,  
non video. Hi homines ut sint subiectum Juris Gentium, alius effi-  
cit respectus, ab eo diversus, quo Thes. antec. considerabantur:  
nimirum novum non est, unam rem & principium & esse subiectum,  
quod auctoritate suō comprobant exemplū.

XV.

Materia ex qua Juris Nat. sunt axiomata, semper & perpetuū  
necessaria, praesentibus nempe iisdem circumstantiis, de quibus  
canon aliquis loquitur. v. g. Depositum est reddendum, Nemo læ-  
dendus. Qui Canones ex σχέσει & habitudine rerum, quae ex de-  
creto omnisapientiae divina talem & non aliam habent naturam,  
ad se invicem, emergunt. Juris Gentium vero sunt itidem axio-  
mata praeceptiva ac prohibitiva, sed ex hypothesi saltim utilitatis ac  
status moderni, adeoque contingenter vera, non tantum ratione  
voluntatis humanae, sed simul etiam ratione conditionis vita, nem-  
pe socialis. Ista Juris Nat. dēcūmata semper se habent, ut diri-  
gentia, immediate enim praeceperunt ex Omnisapientia; Omisci-  
entia & Sanctitate Mūminis; haec fere habent ut dirigenda. Conf.  
Dominus Alberti c. l. §. 17. ubi ex Grotio annotat, temperamentum  
Juri Gentium rigidiori aliquando esse necessarium. Videatur Lib.  
Ejus III. de J. B. & P. & conferatur Cap. IV. cum XI. Cap. V. cum  
XII. Cap. VI. cum XIII. Cap. VII. cum XIV. Cap. VIII. cum XV.  
Cap. IX. cum XVI. Ista se habent ut superiora & presupposita;  
haec ut inferiora & subsequentia. e. g. Contractus sunt Juris Gentium,  
ad eos enim nos stimulavit humana indigentia, Jure Gentium.  
ergo contractus immediate sunt inviolabiles, quoniam in Jure Na-  
turæ superioris istud & presuppositum habetur axioma: Fides si-  
inviolabilis. Sic immediate & formaliter ex Jure Gentium flui-  
incolumitas Legatorum intermerata, etiam si forte Juris Naturalis

non

non adē sint obseruantib; locorum, ubi sanctimoniam ipis conciliat Legati officium; qvoniā societatis commodū aliter imperatu impossibile est, nisi persona tales in tuto sint, qvi conjugendis dissidentium animis operam navant utilissimam: Sed mediate tamē & reductivē hoc Juris Gentium sanctum ortum debet superiori cuidam Juris Naturāl. praecepto, qvod tranquillitatem omnibus inculcat.

## XVI.

Materiam circa qvam seu Objectum Juris Natur. constituant res per se honestā vel in honestā v. g. Honorare Deum, blasphemare Deum; tamē honestatē suāt non habeant nisi dependenter, qvia p̄supponunt conformitatem cum intellectu divino praktico, sicut ipsum Jus Natur. Deum Legislatorem agnoscit, qvod ulterius declarat Dn. D. Alberti Comp. J. Nat. P. I. C. i. §. 59. Juris Gentium objectum ē contrario in se qvidem & abstractivē est indifferens. Id. P. II. Cap. 18. §. 7. v. g. Bellum, remotis circumstantiis moralisantibus, nudē consideratum, item Captivitas &c, sunt indifferentia, & pro ratione circumstantiarum, temporis scilicet loci ac perlonarum vel ad bonum inclinare possunt vel ad malum. Istud tamen objectum communi Recip. usū in tantum arredit, in quantum legitimē adhibetur vel exercetur: uti iterum se habent bella, captivitates, servitutes, dominiorum distinctiones: Etiam si enim hēc omnia, simpliciter considerata, à societate humana prorsus abesse debere videantur, tamen nunc summā urgente utilitate, qvī etiam necessitate usurpantur, cūm alioqvi improborum tumultuationibus res eō rediret, ut neqve inter bonos constare societas possit: Qvæ enim e. g. pax foret cum improbi, si bella non essent? Et qvis bellorum constitueret finem, in qvæ multi populi tam præcipites ruunt, nullō mortis periculō deterriti? nisi servitutum ac captivitatū opprobria timerentur etiam ab ipsis vitæ contemptoribus. Vid. Ant. Fab. Jurisprud. Papin. c.l. Huc specciat nummus, instrumentum commerciorum aptissimum, qvod indigentia pariter & usus introduxit, cum simplex rerum permutatio non unō laboret incommodō, deficitatqve non raro, ubi alteri non est, qvod alter desiderat. Qvā de re videatur Aristoteles, causas adducens, qvibus non tam moti qvād adacti homines, nummi

ulum amplexi sint. Lib. I. Pol. C. 6. p. 31. it. Lib. V. Nicom. c. 5. §. 48, 49. Et Lib. IX. Nicom. C. I. §. 3. It. IV. Nicom. C. I. §. 4. Quin & materia magna est commoditas, quippe quæ derrita non vilescit, sed internâ bonitate commendabilis, eandem vel ejusdem pretii mercem aliò tempore vendenti iterum potest conciliare. Hominum igitur pacto & convento numinus sua debet incunabula, hanc ob causam *vōusōma* dictus à Legis vocabulo, quia non naturâ sed Lege seu institutâ humanâ valet, & pro hominum arbitrio existimationem suam amittere potest, Conf. Arist. Lib. V. Nic. C. 5. §. 29. & 47. ubi inquit: *numimum εξ ὑποθέσεως ex positione hominum esse.* Conf. Rachel c. I. §. 109. 111. 112. 114. 116. Huc referri quoque debent obſides; ſecuritatem enim concedere, *Juris Nat.* est, ſed modus hic proſpicendi per obſides ex arbitrio hominum invaluit. It. Belli dehunciatio, conſerفات Plut. in Numa, & Grotius Lib. III. c. 3. n. 6. Rachel. §. 98. c. 1. Similiter remotivè ſcilicet ad *Jus Gentium* remotivum, tela venenô inficere, aquas hostium vénénô corrumperē, pestilentiam inter hostes incitare, & quæ alia, mortatoriibus crudelia, in usu ſunt, Conf. Valer. Max. Lib. III. c. 8. Armis bella non venenis geri debent. Et Silius apud Rachelium inquit: *Ferrum vénénô infamatur; cuius tamen rei *Jus Naturæ* nullam immediate habet rationem.* Grot. Lib. III. c. 4. Rachelius c. I. §. 47. It. iſtud inter Gentes *jus ut ſecuritas hodiè tubicinibus tribuitur*, qui ultro citroque à belligerantibus tanquam internunciū mituntur. De Legatis propriè dicitis ſuperius egit Th. X.

XVII.

Forma hujus *Juris* est obligatio, orta ex pacto & compromiſſo tacito; ubi Naturalis *Juris* forma vice verba obligatio quidem est, ſed ex natura & conditione rei ipsius proveniens. Per obligationem enim Lex talis est; Sicut non obligatio non Legem & libertatem infert, quam Lex lata limitat & circumſcribit, ejusque exercitium moraliſt tollit. Postquam igitur *Gentes Logica* naturali, quam omnibus hominibus congenita est, uſe, hoc vel iſtud committendum vel omittendum unanimi eti tacitō consensu vid. Vinnius ad §. 2. Inst. de *J. Nat.* C. & C. n. 2 (expiſſus enim ob moralem impoſibilitatem, quam vel conatum celebrandi conuentum omnium gentium improbat, non interceſſit) in Practicis, haud aliter ac in Theoreticis

creticis de dicendo metallis pretio, concluserunt; obligarunt se su-  
osve posteros, ut, quam diu durer iste rerum ac personarum status,  
fancitis refragari sine delicto non licet; idque tantò magis, qvan-  
to clarius subscriptissè videntur Majoruan placitis & pactis, quo-  
rum numero ac ordini se addicunt. Contingit enim, inquit Dn.  
Pufendorffius Lib. 3. C. 6. §. 2. de J. B. & P. ut consensu citra signa,  
uti sunt voces, literæ, nutus ex ipso negotio & aliis circumstantiis col-  
ligatur; dat exemplum. Si quis peregrinus in civitatem, exterios ami-  
cē tractare solitam, amica sub specie accedit, et si nunquam expre-  
se fidem dedit, tacitè tamen ex ipso accessionis actu cōcipromisissè  
censeretur, quod pro ratione status sui sese Legibus illius civitatis ac-  
commodare velit; unde & ipse vicissim ab eadem defensionem ju-  
stitiæque administrationem stipulatus est. Sic qui in diversorio ad  
mensam accedit, et nullum cum hospite verbum circa pretium ci-  
bi commutet, ex ipso tamen actu suo in solutionem ejus consensisse  
se intelligitur. Quod autem statuta ex pactis orta obligent, inde est,  
quia ex declarata Paciscentium voluntate uni in alterum Jus quæsi-  
tum suppetit, ita ut pro libitu poenitere non licet. Qui igitur pa-  
cta non servat, commodissimum firmissimumque societatis vincu-  
lum lædit. Vid. Puf. El. Jurisp. L. II. Obs. 4. §. 29. It. Lib. VII. de  
Jur. N. & G. Cap. 2. §. 10. & Lib. III. c. 4. §. 1. p. 311. Quemadmodum  
verò ipsa obligatio ex pactis oritur, ita his sublatis, corum videlicet  
consensu, qui iniverant antè, tolli utique potest. jung. Th. X. Quibus  
non aduersatur, quod pacta ut plurimum sint æqualium, adeoque ob-  
ligatione careant, ad hanc enim non requiritur præcisè autoritas  
superioris, sed sufficit etiam nundus convenientium consensus. Quā  
ob rem etiam frustra objicitur: genti liberæ in aliam nullum re-  
flare superioritatis Jus, adeoque; nec facultatem dicendi Legem, sub-  
ditos obligantem: Negamus enim, hoc tantummodo requiri ad obli-  
gationem, si enim placeat pactis se obstringere, non requiritur super-  
ioritas , ait Dn. Puf. Elem. Lib. I. def. 12, §. 12. Cuilibet homini homo  
quilibet obligari potest, saltim naturaliter non civiliter idem ib. §. 18.  
Plura, quæ huc faciunt, suggesteret Wolfgangus Textor Synops. Jur.  
Gent. Cap. I. n. 4. p. 2. Inquis, sed hoc loco desunt pacta. Rep. Ex-  
pressa, concedo, de facitis id nego. Hæc verò fiunt, docente Dn. Pu-  
fendorff. El. §. 23. c. 1. Solā etiā voluntate ex negotii natura præ-  
sumptā.

sumptā. Jam verò usus hujus Juris sufficienter voluntatem Gentium  
indicat, non tām scriptis qvām factis declaratam, adeoq; dum hōc  
vel illō in negotiis jure utuntur, non possunt non simul velle, ut obli-  
get. Vid. Textor c. l. n.5.

### XVIII.

Observamus qvoq; tandem diversa adjuncta: Naturale enim jus  
est necessarium ob dicta Th. XIII. Jus Gentium est liberum ob causas ibi-  
dem allatas. Illud est perpetui valoris ac universale vid. Th. 4.it.14. Ob-  
ligat enim hominem tum rectum tum corruptum, tum solum tum  
socium, non quidem secundum omnia præcepta sua actualiter, bene-  
tamen habitualiter: Hoc soli homini corrupto superaccessit, qva-  
tenus societatem colit. Illud est honestum per se adeoq; immutabi-  
le, qvia iudice Deo, qvod semel malum est, nunq; honestum evadit,  
observante id contra Mevium, hac in parte cespitantē Rachelio Tract.  
de Jur. Nat. §.56. p.53, Conf. Osiand. in Typ. Leg. Nat. Th. 48. & ad  
Grot. Lib. I. Cap. 1. n. 10. obs. 3. p. 180: Hoc per accidens saltim &  
qvali per aliud honestum est, qvarerens Juri Nat. expreſſe non reſtra-  
gatur, ex qvo potius remota derivari debet; Directè enim ex indi-  
gentia noſtræ ratioſiniis promanare, dictum est ſuprā. Th. 13. Conf.  
Beem. diſſert. 2. §.8. & §. 7. Eſt qvoq; mutabile prout hominum status  
& uſus mutantur. Th. X. Conf. Rachelius J. Gent. p.304. § 88. itid. Th.  
X. circa finem. Imprimis abrogandum eſt. Jus Gentium putativum  
Rachel. c. I. p. 281. qvod Grotius vocat externum; item iniquum & mitigandum  
eſt docet. Lib. III. C. 11. usq; ad 16. Dominus Alberti periculosa nominat Juriſ  
licentiam c. I. Part. II. Cap. 18. §. 17. Qvā pietatis Christiana directorio ſubjicienda  
eſt. Rach. de Jur. Gent. p. 98. Statuta Juriſ Gent. veri actū variantia circa capi-  
tos ostendit Grotius L. III. c. 7. n. 8. Circa corporum demortuorum extrema offi-  
cia, refert Cic. Lib. II. de Leg. n. 56. & 63. & Beem. diſſert. II. de Jur. Nat. §. 6.  
It. Herodotus in Thalia Cap. 18. Circa uſum telorum venenō infectorum. Si-  
gonius de Regno Italie Lib. XVIII. p. 74. & Val. Max. Lib. 3. C. 8.

### XIX.

Hac ſunt B. L. , qvibus animi noſtri ſententiam circa Jus Gentium  
& circa diſcribēn ejus, qvō à Jure Naturali ſeparatur, theticè  
plurimum, aperire libuit, obiter ſaltim imprefſis ad dūtūnītūtūta Averſiorum  
reſponſionib; qvorum ſplendida nomina ut fuerit calamus, modeſtus efflagita-  
vit. Ceterū ſi hiā & inde aliq; viduani paſſa eis, materiæ ponderi parum apta,  
judicii imbecillitas, veniam nobis pollicemur eo faciliore, qvō candidius ſumus  
mutari ſententiam, meliora edocē. Fuit autem Deus omnis iuſtitiaz fons ac  
origo, ut neq; contra Jus Nat. neq; contra Jus Gentium gentes unquam agant,  
ſed potius vitam honeſtē ſocialiter ac pacifice tranſigant, promoturæ ſic finem u-  
triusq; Noſtri Juris ultimum, nempe GLO RIAM DEL.






**ULB Halle**  
003 024 903

3



Sch

WOM



**Farbkarte #13**



B.I.G.

Black

8773. 1685.27  
B. C. D.

DISSERTATIO MORALIS  
DE

# DISCRIMINE JURIS GENTIUM A JURE NATURALI,

*Quam*

Inclitæ Facultatis Philosophicæ  
consensu, in famigeratissima Lipsiensi  
Academia

benevolæ ac placida Eruditorum censura

*submitent*  
P R A E S E S

M. JOH. DAVID Schwertner/  
SS. Th. Baccalaureus

&

AUTOR-RESPONDENS

ABRAHAM Siegke / Lucc. Lusat.  
Ao. M. DC. LXXXV.

D. XI. Marig

LIPSIAE,  
Typis KRÜGERIANIS.